

Dissertatio inauguralis physico-medica, de vi corporum organisatorum assimilatrici ... / auctor Gulielmus Godofredus Ploucquet.

Contributors

Ploucquet, Wilhelm Gottfried, 1744-1814.
Oetinger, Ferdinand Christoph, 1717-1772.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Schrammianis, [1766]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b4x9nneu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

19

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHYSICO - MEDICA,
DE
**VI CORPORVM ORGANISATORVI
ASSIMILATRICI.**

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAE SIDE
VIRO
EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
**FERDINANDO CHRISTOPHORO
OETINGERO,**
MED. D. ET P. P. O.

DEPV TATIONIS IMMEDIATAE DVCALIS MEMBRO, ACAD. ELECT
MOGVNT. SCIENT. VTL. SOCIO IN MEDICIS ORDINARIO,
p. t. DECANO SPECTATISSIMO,
PATRONO AC PRAECEPTORE AD ARAS COLENDO,
PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE
LEGITIME CAPESSENDO
PVBLICO EXAMINI SVBIICIET
D. AVG. CICICCLXVI.


A V C T O R
GVILIELMVS GODOFREDVS PLOVCQVET
ARTIVM LIBERALIVM ET PHILOSOPHIAE MAGISTER.

TVBINGAE
LITTERIS SCHRAMMIANIS.

H. Siegfried.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30787749>



§. I.

Originatorum corporum nomine mihi veniunt ea, quæ ex interna sui dispositione status suos ad leges constantes successive evolvunt, seu quæ machinæ naturales vivæ sunt. Hæc corpora vi quadam instructa sunt, qua corpora heterogenea in sui naturam convertere valent, quam vim appellare placet assimilatricem.

§. II.

Vim assimilatricem dari, eandemque corporibus organisatis competere, a priori & a posteriori demonstrari facile potest. Quænam vero corporum species organisationem involvant, jam præmittam. Omnia corpora mixta, in quovis, ut ajunt, regno naturæ collocata, suis singula organis instructa sunt, licet eadem aciem oculorum nostrorum sæpius longe effugiant. Loquor autem de corporibus, qualia in statu naturali sese nobis fistunt, nimirum de vivis; non de cadaveribus, vel de animalium plantarumque reliquiis, non de mineris destruictis. De animalium plantarumque organisatione nemo est, qui dubitet, horum enim organa sensibus nostris raro sese subtrahunt; De mineralibus autem majora agitantur dubia;

Cl. ROBINET



BINET ^{a)} hæc dubia inveterata dicit; **WALLERIVS** ^{b)}, & plures alii hodienum mineralibus organisationem demunt. Quid sentiendum? Ad phænomena attendamus, plures observationes conjuncturi ut inde justas formare possimus conclusiones. In historia naturali inveniens, omnia mineralia, ne lapidibus quidem exceptis, crescere. Testis nobis est **BAGLIVIVS** ^{c)}, montes marmoreos in Italia novam semper suggerere materiam, nec unquam exhaustiri, quin in noviter incisis lapicidinis malleos, aliaque instrumenta, queis olim lapicidæ usi fuerunt, novis lapidibus sensim sensimque obducta denuo ex lapicidinis eruta fuisse. **SCHIRLAEVUS** ^{d)} plura assert exempla, vegetationes lapidum satis superque probantia. Conjungamus cum his observationibus ea, quæ oculi armati nobis exhibent, distinctas nimirum in omni minerali fibras, distinctos tubulos, aliter in his, aliter in illis modificatos; Sentio cum Cl. ROBNETO, organisationem minerarum e fibris earundem dijudicante, cujus verba hæc sunt: *Je ne crois pas, qu'il y ait un seul metal entier, une seule pierre, ou l'on ne puisse parvenir a voir cet appareil organique, ou un semblable, dès qu'on a saisi la direction des fibres.* ^{e)} An vero ex fibris, ex organica quadam apparentia, & ex augmento mineralium veram eorum organisationem inferre licet? Nonne ea per meram appositionem externam augeri possunt, uti Cel. **WALLERIVS** statuit, qui ita: „*Uns deucht, als ob die Steine durch einen von aussen geschehenen Ansatz wachsen, dass die Theilchen sich rund um, und eines an das andere befestigen, und sich dergestalt ineinander verhüften.* — ^{f)} De stalactitis, incrustationibus, & quibusdam petrificatis vera est hæc sententia, si autem ea ad omnes lapides, ipsasque mineras extendatur, jure de illa dubitandum mihi videtur. Quænam enim est ea vis, quæ partes non nisi homogeneas ad homogeneas advehit? Quis ex unione tam fortuita structuram mineralium internam adeo regularem, adeo constantem in innumeris individuis unius speciei explicabit? Cur quælibet species suos constantes habet characteres? Cui bono esset matrix metallorum? Nonne involucrum sæpe adeo durum & compactum impediret potius novas aggregationes?

Præ-

Præterea etiam, si appositionem externam concedere velimus, generatio tamen metallorum nondum inde patet. A longissimis retro temporibus, teste Plinio, metallifodinæ visceribus suis spoliantur; ingens metallorum copia quotidie deteritur, neque tamen ulla eorum inopia laboramus. Unum igitur concedas, necesse est, aut jam a principio mundi omnia metalla in montibus latuisse, aut novam quotidie metallorum generationem contingere; Unde ergo novæ oriuntur particulæ? An iterum per appositionem natæ? Et unde illæ? Sic oritur progressus in infinitum; Particulas autem metallicas a creatione jam sub eadem forma exstisset, opinionem plebejam, perridiculam & omni experimento contrariam esse dicit **GEORGIVS AGRICOLA** ^{g).} Opus itaque est apparatu vere organico ad generationem metallorum, adeoque etiam regnum minerale gaudet organisatione. Cum autem omne organisatum vivum sit, necesse est, ut etiam mineralia vita aliqua prædicta sint, licet obscuriori, quam vegetabilia, uti & hæc minorem gradum (ut ita loquar) vitæ habent, quam animalia.

- a) in libro *De la Nature* inscripto. II. Partie. Chap. XIV. ubi hæc leguntur: „L'on s'est accoutumé à regarder les mineraux, comme des corps bruts, & sans organisation, produits & travaillés sur un plan tout different de la generation & de la nutrition des vegetaux & des animaux, je ne me flatte pas, de détruire cet ancien préjugé.
- b) Mineralogie p. 3. c) De vegetatione lapidum. Op. Omn. p. 449.
- d) De caussis probab. lapidum in macrocosmo. Sect. I. p. 14-23.
- e) l. c. Chap. XV. f) l. c. g) De ortu & Caussis subterraneorum. L. V. C. I.

§. III.

Omnis materia perpetuo motu agitatur, uti Physici & Chemici omnes docent; nihilominus autem videmus, corpora organisata cæteris paribus non imminui, &, licet semper attractantur, nihil de eorum magnitudine abrogari; Necessarium itaque est, ut partes deperditæ restituantur. Cum præterea corpus vivum nihil parumve alteretur, licet partes heterogeneas, quibus nulla cum corpore nutriendo similitudo est, assumat, facile patet, peregrinas illas materias a corpore organisato,

ganisato, quod eas assumfit, assimilatas fuisse. Namque natura partium cujusque corporis organisati constitutivarum semper a sua specie determinatur, ita, ut singula corpora considerari possint ceu homogenea, & a corporibus aliis speciei penitus differentia. Videri quidem posset, quod sanguis v.g. hominis non differat a sanguine vituli, cum uterque eadem producta chemica largiatur, verum decompositio, quæ exhibet principia *combinata*, non monstrat *combinationem*. Exinde quoque factum est, ut Chirurgia transfusoria plerosque eorum hominum, qui eam experti sunt, in stupiditatem conjecterit, vel & accelerata quasi morte e viventium numero abripuerit^a). Singulæ quoque cadaverum species generant animalcula suæ speciei propria^b). Quin & omne animal singulari, & a cæteris diverso pulice vel pediculo infestatur, monstrante F. REDI in *Exper. circa generationem insectorum*. Necesitas legis assimilationis inde quoque patet, quod absque ea omnes species corporum, vi assimilatrice destitutorum perituræ escent, quamvis enir multitudinem eorum innumerabilem ponas, nihilominus ea brevi transmutabuntur in naturam assimilantium, quæ reliqua destruunt, ut sese ædificant.

a) HEISTERI Institut. Chirurg. P. II. Sect. I. C. XIV. §. 2.

b) KIRCHERI Scrutin. Phylico-Med. Pestis. §. IV.

§. IV.

Ipsa vero existentia vis assimilatricis ex innumeris phænomenis, quæ ubique, quo oculos convertimus, nobis se fistunt, luculentissime appareat; Videmus, in animalibus plantisque maximam partem machinularum artificiofissimarum, (quarum autem intimior structura nulli mortalium penitus recluditur,) nutritioni, & assimilationi materiarum heterogenearum destinatam esse, e quo colligo, organa analoga in mineralibus eidem scopo inservire. Ope assimilationis ex diversissimis alimentis, productum idem, & contra ex eodem alimenti genere diversa obtinentur. Fruatur unus mera carne, alter mero pane, vel radicibus nutrientibus, uterque, cæteris paribus, ex diversis his alimentis sañguinem humanum gignet.

E con-

E contrario pane alas hominem, canem, capram, & videbis, ex eodem alimento produci partes humanas, caninas & caprinus. Sic & ex eodem succo ejusdem arboris diversi aluntur fructus, diversis saporibus se distinguentes. Si quis autem existimet, materiam, quam pro assimilata declaro, jam in assumtis sub eadem forma præexistisse, & tantummodo inde extractam fuisse, illi contrarium facile ostendi potest. Pone enim, in uno eodemque alimento contineri particulas organicas hominis, canis, alijsve animalis; (quæ Cel. DE BUFFON sententia est) omnia hæc animalia nutrimentum sui inde capiunt, e. g. tertiam partem totius; Homo igitur ex hypothesi assumet tantum particulas organicas humanas, reliquas in alimento latentes relinquet; Si pari modo inde tertiam partem sui extrahit canis, & tertiam aliud animal, nihil amplius pro nutriendis aliis residuum erit, id quod autem ipsi experientiae repugnat; adeoque restitutio partium deperditarum non pendet ab assumptione particularum similium, & repulsione dissimilium, sed assimilatio supponit veram conversionem unius corporis in aliud. Corpus organisatum exercet assimilationem per totum vitæ suæ decursum, inde a primi staminis formatione, usque ad mortem. Dicendum itaque erit de generatione, vita, conservatione, & morte omnium organisatorum, ita, ut ex uno principio, nempe lege assimilationis deducantur.

§. V.

Ab animali incipiam, & de ejus ortu aliqua dicam. Mens mihi autem non est, omnes, quæ de generatione prostant, sententias enarrare & examinare, sed omissis his omnibus, quid hac de re mihi videatur, exponam. Ex commissione seminis masculini, cum liquido fœminino novum plane corpus oritur, quemadmodum e duobus salibus contrariæ naturæ commisisti tertium emergere videmus; quod quidem ita fit, ut mas fundatmentum formæ ponat, uti sales acidi naturam medii producendi determinant, unde etiam Chemici acidum vocârunt masculinum, alcali vero fœmininum ^a). Huic sententiæ non adversus est ARISTOTELES ^b) duo assumens principia, alterum

rum ποιητικον και κυριον, alterum vero παθητικον και κινημενον,
ex quorum concursu tertium producatur, ὡς ἐκ της τεκτονος
και Συλλογης και λινης, η ὡς ἐκ της κηρυξ και της ειδυος η σφαιρα,
& paullo ante b) dicit: το μεν αρρεν παρεχεται το τε ειδος,
και την αρχην της κινησεως, το δε Θηλη το σωμα και την
υλην. Corpusculum organicum hoc modo efformatum jam præ-
ditum est vi assimilatrice; haec est prima periodus, quæ in ne-
gotio generationis determinari meretur, secunda periodus est,
qua in viviparis dictum corpusculum post adaptationem & ad-
haesione ad uterum sub eadem adhuc forma aliquod incremen-
tum capit, in oviparis autem, cum ovum ad perfectionem
venit. Tertia periodus his corporibus illam formam induit,
quam per totam vitam retinent; Requiritur ad hunc actum
actio uteri, vel incubatio ovi, analogumve. Distinctio ha-
rum periodorum maxime necessaria mihi visa est, nam, si
embryo immediate post conceptionem jam quoad totam for-
mam perfectus consideratur, tum explicari non potest, quo-
modo ex capite & dorso, vel potius ex cerebro, cerebello,
& medulla spinali, quæ nullam cum animali futuro similitudi-
nem habent, totum animal producatur. Involutio enim sub
forma simili nusquam reperitur, quod in historia generationis
insectorum maxime appetet d). Fœtus enim, teste Ill. ab
HALLER e) primis principiis grandissimo capite, corpore
parvo, artibus nullis est. In oviparis eadem observarunt
Cel. DE BUFFON f) & MALPIGHIVS g). Ex corpore
itaque cerebro efformatur corpus animale, ossibus, visceri-
bus, glandulis, musculis, tendonibus, vasisque &c. instru-
ctum, id quod sub tertia periodo contingit; Cur autem, &
quomodo id fiat, jam ulterius explicare conabor.

a) BOERHAAVE Elem. Chem. T. II. Proc. CXXXVI.

b) De Generatione Animal. L. I. Cap. XXI. c) ibid. C. XXI.

d) GOEDART Histoire naturelle des insectes, selon leurs differentes
metamorphoses. e) Prim. lin. Physiolog. §. 829.

f) Allgemeine Historie der Natur I. Th. II. Band C. X. p. 167.

g) De ovo incubato.

§. VI.

Ingeniosam hujus problematis solutionem sttit Cel. DE BUFFON, assumens, particulas organicas, specificam ad partes corporis animalis relationem habentes per universam rerum naturam dispersas esse, animalia ab iisdem nutriri, & nutrimenti superfluum deferri ad organa generationis, dein, si in matrice in laptam ducantur, per reaktionem particularum organicarum alterius sexus ad quietem perduci, & ea quidem lege, ut haec particulae ad imaginem ejus animalis, e quo suppeditatae fuut, coordinentur. „Sie werden sich im kleinen ordnen, ait laudatus auctor ^a), wie sie sich im grossen gestellt hatten, da sie zur Auswickelung von dem Leibe dieses Thieres dienten. Sed existentia harum particularum nondum demonstrata mihi videtur, ob rationes, quas § 4 allegavi. Nec patet ratio, cur illae particulae ita ordinentur. Ill. KAESTNERVS, in annotationibus acutissimis, quibus hunc librum illustravit, plura alia movet dubia; quae suo loco inspiciantur. Evidem mea explicatio nititur lege assimilationis; Corpusculum organicum § 5, vi assimilatrici praeditum, est basis totius corporis; Hoc non ubique similaribus partibus constat, sed diversis locis diversis instructum est organis, quorum singula specificam vim assimilatricem habent; Cum haec iterum corpora organisata sint, partes eorum iterum erunt organa, quia machinæ naturales sunt. Quousque vero haec organismi subdivisio procedat, determinari non potest. Attamen verosimile videtur, deveniri tandem ad organon simplex, quod in organa denuo dividi non potest; Quatenus autem organa adsunt, eatenus vis assimilatrix specifica concipienda est; Organa diversa diverso funguntur officio, & materiam, in quam agunt, diversimode determinant. A diversis igitur organis etiam diversæ corporis animalis partes effinguntur. In quibusdam animalibus perdurat vis, hanc illamve corporis partem integrante efformandi, per totam ipsorum vitam; Cancerorum chelæ, pedesque ^b) abscissa regenerantur, & polypi uteunque mutilati, pristinam recuperant formam.

a) I. c. C. X. p. 163.

b) Hamburgisches Magazin II. Theil. p. 476.



§. VII.

Dum fœtus adhuc utero materno includitur, vim suam assimilatricem exercet in humores, qui ex matre in ipsum deferruntur; Hi humores facile, & per exiguae mutationes a fœtu assimilantur; Alimenta successu temporis fœtui suggeruntur crassiora, & differunt subtilitate pro statu fœtus, (e. g. in primis principiis nullus cruor ad illum pervenit;) Hæc lex in universa natura observatur ^a). Cum autem fœtus humoribus maternis, quos immediate in vasa sua receperat, ad justam perfectionem perducetus est, in lucem editur. Magnam vero differentiam experitur inter alimenta, quæ antea acceperat, & ea, quæ jam capit; Hæc enim actionem digestionis subeunt, vasa lactea ductumque thoracicum pervadunt, antequam sanguini admisceantur. Hic modus aliquid recipiendi adeo differt ab antecedenti, ubi immediate in vasa alimentum effundebatur, ut eadem materia, quæ sanguini immediate admista funestos effectus producit, innocua esse possit¹, si ore assumatur. Exemplo fit venenum viperarum, etiam principis caudisonæ, quod sine periculo exsugitur, dum cutis sit integra, continuo enecturum, si quam minimo vulnusculo violata, virus non subactum ad sanguinem transmiserit ^b). Spiritus vini vasorum vivi animalis injectus subito necat, ore receptus mortem non infert ^c). Sanguis partes quasdam heterogeneas, suæque naturæ contrarias ferre nequit; nisi itaque omnia in M. H. recepta eidem assimilentur, anomaliæ & turbæ variæ ex diversis causis exorientur.

a) Infecta ova sua deponunt ad loca commoda, ubi proles nascitura interim subtilius alimentum inveniet, donec crassioribus assumendis par evadat. „die Schlupfwespe (Ichneumon,) (vid. Hamb. Magaz. Tom. IX. „p. 655.) versteckt jedwedes ihrer Eyer in ein Loch, das sie in die Erde „græbt, und begräbt bey das Ey zugleich etliche Heuschrecken, welche „sie dergestalt zu verlezen und zu befestigen weiß, daß sie zwar nicht „entrinnen können, aber gleichwohl beym Leben bleiben. — Oestrus ova sua dorso tarandorum infert, ut ibi foveantur & nutrientur, teste LINNAEO, vid. Abhandl. der Schröd. academ. I. Band. p. 145. nec non in Systemate Naturæ. T. I.

b) DR

- b) DE HALLER Elem. Physiol. Tom. VII. L. XXIV. p. 59. & Cel.
DE HAEN in Quæst. super inoculatione. p. 60.
c) BAGLIVI Dissert. VIII. De Experim. Anatomico-Practic. Exper. I.
& III. Oper. Omn. p. 674.

§. VIII.

Indicabo iam organa, quibus assimilatio heterogeneorum perficitur, & leges, quas natura in hoc negotio observat, exponam. Præcipua instrumenta vis assimilatrixis sunt organa digestionis. In hac officina corpora digerenda acquirunt primum gradum cognitionis cum eo animali, quod illa assument. Sunt vero etiam aliæ viæ, queis peregrina corpora in animal feruntur; Quantum est, quod resorbetur per venas bibulas cutis, ex variis corporibus eam affidentibus? Ex aëre, qui secundum observationes Cel. ARBVTHNOT^{a)} ignem, aquam, vapores oleofos, salinos, olea ætherea plantarum, terram, vapores vitriolicos, arsenicales, continet, hæc omnia peregrina corpora ab animalibus resorberi possunt. Observatio, quam Cel. ZIMMERMANN refert, docet momentum hujus resorptionis; „*Ia Jamaica trincken das Lastvieh und die Schweine nicht, dem ohngeachtet schwitzen sie immer, dann es wird würcklich durch die Haut dieser Thiere so viel Wasser eingesogen, als zu ihrem Getränke nöthig wäre.* — ^{b)}“. Venæ resorbentes partim in venas majores, partim in glandulas terminantur, resorpta itaque assimilantur partim sub circulatione ipsa, & inde pendentibus effectibus, partim a glandulis, in quas illa deferuntur. Leges, quæ in negotio assimilationis observantur, postulant, ut ea, quæ assimilari non poterant, e corpore iterum ejiciantur. Mineralia e.g. nullam similitudinem cum corpore animali assumunt, & in vegetabilibus animalibusque alimentis semper aliquid est, quod vitio vel assimilaturi, vel assimilandi non potuit transmutari. Ea, quæ ejici debent, inveniunt semper organon secretorium, suæ naturæ conveniens: Crassissima secedunt per alvum, subtiliora per renes, alia per glandulas, subtilissima autem per cutem exturbantur. Ea quoque assimilata, quæ homogeneam cum corpore animali naturam per longum attritum, moram, alias-

que caussas exuerunt, qua dissimilia iisdem legibus obnoxia sunt, & e corpore ejiciuntur.

a) *Hamb. Magaz. II. Band. III. St. n. 1.*

b) *Erfahrung in der Arzneykunst. II. Theil. p. 159.*

§. IX.

Notum vero est, vires digestionis facere ad inducendam corporibus peregrinis cum corpore nostro similitudinem: Modus autem digestionis a plerisque assuntus mihi non sufficiens videtur ad explicandam viam assimilatricem, id quod sequentes ostendent rationes: Saliva digestioni perficienda non par est; Tantum enim abest, ut fermentationem ad hoc negotium adeo necessariam ^{a)} promoveat, ut eam potius retardet, teste PRINGLIO ^{b)}; Præterea saliva cibos in chylum vertere non valet, quod idem expertus est. Liquor gastricus & panoreaticus ejusdem census sunt. Bilis vero utraque ut præcipuus sapo consideratur, mixtioni pinguium cum aquosis apprime inserviens. At! SCHROEDERVS ^{c)} experimenta huic sententiæ plane contraria nuper divulgavit: „*Msr. Schröder a melangé le fiel du bœuf différemment avec du lait, mais la bile n'a pas empêché, que la crème se séparât du reste du lait. La partie caseuse de cette liqueur n'a pas été dissoute par la bile, & ne s'est pas alliée au serum.*“ Experimenta hæc famæ bilis multum detrahunt. An calor cum motu concussorio, quem ventriculus & intestina peragunt, & patiuntur, sufficit ad digestionem? Cibi nulla ratione duabus his viribus in chylum converti possunt, videmus quidem, etiam offa resolvi in machina Papiniana, verum in gelatinam & terram, non in chylum. Num vero potentiae hæ omnes, qua conjunctæ, pares sunt huc operi absolvendo? Tentet, qui velit, arte ex carne vel pane chylum producere; Neminem vero, qui id præstiterit, novi. Evidem non negaverim, actionem omnium allegatarum virium chymicarum & mechanicarum omnino huc facere; Sunt enim instrumenta, sunt requisita necessaria, conditiones, sine qua non, sed nondum rem

rem exhausti. Deest ergo aliquid, & forsitan præcipuum in explicatione digestionis.

a) BOERHAAVE Institut. Med. §. 78.

b) *Feldkrankheiten Anhang. 30ster Versuch.* ff.

c) in Programmate, de Experimentis, quæ faciunt ad cognoscendam naturam bilis; Recensio exstat in noyellis Medicis, Gazettes salutaires.

§. X.

Eadem nos offendunt difficultates in negotio sanguificationis perspiciendo. Chylo enim magna adhuc sustinenda est mutationis, antequam in verum sanguinem convertatur. Licet enim BOERHAAVE ^a) afferat, in Chylo eadem jam reperiri principia, quæ sanguinem componunt, nimurum aquam, spiritus, olea, sales, coimista, magna tamen inter chylum & sanguinem intercedit differentia. Chylus enim chemice digestus acescit ^b), sanguis autem putreficit. Chylus in vasa lactea intrans jam aliquam cum corporis animalis humoribus cognitionem natus, antequam in cisternam lumbarem, ductumque thoracicum deveniat, glandulas mesaraicas subit, ibidemque iterum aliquam mutationem patitur, quam ad dilutionem & mistionem cum lympha restringere nolim, cum chylus jam fluidissima pars chymi sit; Jam chylus sanguini plerumque per venam subclaviam sinistram admiscetur; Sunt vero etiam aliæ partes assumentrum subtiliores, quæ immediate sanguini admiscentur per venas resorbentes cutis, oris, œsophagi, ventriculi & intestinalium, omnes autem adeunt cor, & feruntur in pulmones. Humor hic inde redux sanguini intime commissus ^c), ruber ^d), sanguini omnino similis recipitur ab auri cula sinistra, deinde ventriculo cordis sinistro, qui eum aortæ tradit, unde ope arteriarum per totum corpus distribuitur. In pulmonibus itaque sanguis maxima ex parte elaboratur, licet reliqua viscera, ut & motus muscularis subinde eum magis perficiant. Sub his revolutionibus igitur chylus transit in naturam corporis nostri, eidemque perfecte assimilatur. Explicatio hujus phænomeni recepta insufficiens mihi videtur; Etenim, si motus pulmonum conqualifatorius, vi cuius chylus

Ius sanguini in corde dextro mixtus in canalibus conicis & cylindricis arteriæ pulmonalis valide premitur a postico, & a lateribus reprimitur ^e), si hæc actio, inquam, chylo figuram formamque solidarum & fluidarum in toto corpore partium daret, tum figura minimarum sanguinis particularum non sphærica vel sphæroidica, sed cylindrica potius esset, vel figuram coni truncati referret; Rubor chylo conciliatus iterum ab hoc motu & attritu non potest profici sci; Sequens enim experimentum, a Cel. LOWERO ^f) captum theoriam hanc valide supplantat, quod ita se habet: „*Praeclusa in cane respi ratione, totus sanguis brevi tempore, nam vita ipsi non deficit in momento, redditur fuscus, immo etiam talis educitur ex arteria carotide, quamvis cordi quoad tractum vicina: Et si canis occidatur extrahendo sanguinem ex arteriis, respiratione usque ad finem vitae perdurante, erit ille totus coccineus.* — Ex quo sic argumentor: Si rubor sanguinis per pulmones agitati ab ejus frictione & pressione pendet, tum omnis sanguis per pulmones motus ruborem retinet, nam cum hoc motu frictio & pressio necessario conjunctæ sunt. Atqui vero sanguis per pulmones motus ruborem non retinuit, in experimendo recentito, cum tamen omnis sanguis e carotide fusus e corde provenerit, quod illum e pulmonibus accipit: Ergo rubor sanguinis a frictione & pressione non pendet.

a) Institut. Med. §. 127. b) DE HALLER Elem. Physiol. T. VII. p. 54.

c) BOERHAAVE l. c. §. 204. d) ibid. §. 201. n. 9.

e) ibid. n. 3. f) VERHEYEN Anatom. Corporis human. P. II. Tract. II. C. VII. p. 177.

§. XI.

Affimilatio vero duplex est: Una, qua peregrina corpora corpus animale intrantia eidem affimilantur, altera vero, qua ex affimilatis diverfi, qui in corpore animali reperiuntur, humores producuntur, id quod appellant secretionem. Non omnis humor per quocunque colum separatur, licet id variis observationibus probari posse videatur. Suppressa quidem vel impedita hac illave secretionem, augetur alia, sed quis unquam dixerit, urinam per nares, sudorem per renes secreta fuisse?

fuisse? Observatur quidem saepe in ischuria diurna sudor, urinoso odore gravis, id quod a salibus, oleoque, per renes secernendis, nec secretis, & ad cutem delatis derivandum est; at fœ idus ille sudor nequaquam urina erat, sed verus sudor, principiis urinosis tinctus; Præterea in tali casu non amplius agitur de statu hominis sano, sed morbo, qui proprie non amplius Physiologiæ objectum est; Singula igitur organa secretoria specifica vi assimilatrici prædita sunt, quod alio quoque modo facile demonstratur: Si enim omnia corpora organisata vi assimilatrici instructa sunt, tum & organa secretoria, qua organisata, vi pollut, corpora heterogenea immutandi, & in naturam sibi convenientem convertendi; Huc spectat, quod ABRAH. TERSIER^{a)} afferit: „Credo, „ait, *sanguinis portionem a partibus, ad quas advehitur, retineri, praeparari, mutari, & in indolem cuique parti propriam verti.* Hujus phænomeni varias rationes allegaverunt Physiologi. Ill. AB HALLER^{b)} cauſas, quæ faciant, ut in definitæ fabricæ organo suus constanter humor a sanguine separetur, assumit: sanguinis ad colum delati diversam naturam, velocitatem diversam sanguinis arteriosi, & diversitatem organorum secernentium; Attractio vero Keiliiana, & Newtoniana, nec non cola eodem humore tincta, fermenta &c. ab eodem ad hypotheses referuntur. Ita vero humores secernendi in sanguine jam formaliter præexistere supponuntur, ita, ut non nisi separatione egeant; Si vero humores secernendi jam sub ea forma in sanguine essent, tum iidem quoque arte e sanguine extrahi possent, id quod autem nullo pacto fieri potest, nec nisi cruorem, serum, lymphamque inde obtinere licet. Hypotheses reliquæ suis omnino laborant nævis, ut Ill. DE HALLER demonstravit, licet specioſa sit hypotheses colorum, quam etiam KRAZENSTEIN^{c)} & WINSLOW^{d)} sequuti sunt. Addam refutationi ab HALLERO institutæ hec duo argumenta: Si humores determinati transeunt solummodo per cola, simili humore imbuta, tum apparatus organorum secernentium, quoad structuram adeo diversus, plane inutilis esset, id quod autem statuere nefas est. Deinde

haec

hæc organa percolationem suam nunquam inchoare potuissent, cum in embryone v. g. nulla bilis sit. Diuersa natura sanguinis ad colum delati, & velocitas diversa sanguinis arteriosi saepè nullæ sunt; Hæc enim differentiæ penderent a diversa distantia a corde, vel ab angulo, sub quo vas minus ex arteria majori exit; Variat autem tam distantia, quam angulus in diversis subjectis mirum in modum. Vidi aliquando, in vitro aliquo arteriam spermaticam dextram ex aorta ad angulum obtusum 20 vel 25 graduum exivisse, ascendisse, laquei in morem arteriam renalem circumdedisse, & dein demum descendisse, altero vero in latere spermatica ex renali oriebatur, quod utrumque & angulum, & distantiam insigniter mutavit. Ergo hæc duo momenta cadunt. Differentia diametrorum in oculis minimorum vasorum ad explicandam secretionem nil facit; Aut enim v. g. particulæ urinæ, hisque respondentes vasorum secernentium diametri sunt minores, quam partes salivæ, & vasa, per quæ hæc secernuntur, aut non: Si prius; tum saliva semper urinosis particulis inquinata secerneretur, quin organa salivalia saepius solam urinam funderent; per quod enim transit majus, per idem transit & minus, & facilis adhuc transmittitur: Si posterius: scilicet si particulæ salivæ æquales vel minores sunt particulis urinæ, tum saliva per renes æque facile, quin facilis secerneretur, id quod contra omnem experientiam est. Non negaverim, adesse ubique in corpore animali vasa diametri diversæ; Serosa enim majora sunt lymphaticis &c. Serum itaque in statu naturali vasa lymphatica intrare nequit; licet lympha etiam in serofis vasis contineatur. Hæc autem diametrorum diversitas nullum usum habet, nisi in separandis humoribus, in massa sanguinis jam formaliter præexistentibus, unde simul patet, humores, quos per organa secretoria obtinemus, non adesse sub eadem forma in massa sanguinis ante secretionem.

a) Dissert. De Vita & Morte. Lugd. Batav.

b) Elem. Physiol. T. II. L. VII.

c) in Theoria fluxus diabetici.

d) Memoires de l'Academie Royale de Paris, année 1711. p. 316.

§. XII.

Exposita jam historia vis assimilatrixis in animalibus, ulterius exponendum est, in quonam ea vis consistat, quæ ejus natura, & quinam modus operandi sit? Cum vis assimilatrix vitam supponat, & ab ea pendeat, inquirendum erit in naturam vitæ, sensu generali consideratæ, qua nempe omnibus corporibus organisatis competit. Forma vitæ consistit in motu harmonico partium organisatarum continuo. Dum hic motus perennat, vita continuatur, eo cessante mors accidit. Id vero, in quo causa huius motus posita est, principium vitæ vocari potest; A plurimis eiusmodi principium, quod vitam sustentat, & cuius privatio vitæ finem imponit, agnitus fuit; Sed diversa nomina ab iis eidem imposita fuerunt, quorum aliqua recensebo: Vis vitæ; Calor vitalis, Calidum innatum, Θερμότης ψυχικη^a) το ενορμεύ Hippocratis, Fluidum nervum, Ignis primævus, electricus, elementaris; igneus vigor, Vis ignea^b), æther, Spiritus mundi, Lux^c), spiraculum vitæ, Spiritus Rector. THEOPHRASTVS PARACELSVS his terminis usus est: *Nun ist das Leben des Menschen anders nichts, dann ein astralischer Balsam, eine balsamische impression, ein himmlisches und unsichtbares Feuer, ein eingeschlossener Luft, und ein tingirender Salz-Geist^d).* Principium vitale, Anima vegetativa, Anima sensitiva Willisii^e), Archæus Helmontii, Anima Stahlianorum, & sic porro. Alchemicorum quoque menstruum universale, sal metallorum, aurum potabile, *das Salz der Natur^f), der himmlische Sulphur^g*) &c. cum vitæ principio materialiter convenire, ipsi contendunt, nec adeo absconum est.


a) ARISTOTELES περὶ ζωῶν γενεσεως βιβλ. Γ. κεφ. 1α.
 „γίνεται δε τα ζωα και τα φυτα, δια το εν τω παντι Θερμοτητα ψυχικην ειναι, ως τροπον τια παντα ψυχης ειναι πληρη. —

b) SINCERI RENATI Theosophia Theoretico-Pract. p. 293.

c) Cfr. VERDRIES Physica p. 6.

d) De vita rerum naturalium L. IV. p. m. 889.

e) WILLIS De anima brutorum Cap. II. p. 9.



f) SINCERVS RENATVS l. c.

g) v. WELLING Opus Mago-Cabbalist. & Theosophicum P. II. Cap. II.

§. XIII.

Omne igitur, quod vivit, continuationem vitæ suæ debet isti principio, sine quo in universa rerum natura nullus fere motus continuatur; Natura ejus ac origo semper eadem est; Licet enim $\tau\omega$ formale vitæ organisatorum diversorum sæpius admodum differat, nihil tamen obstat, quo minus ab eodem principio pendeat; Etenim hoc modificatur & alteratur pro ratione subje $\ddot{\text{c}}$ torum; Huc respexit SINCERVS RENATVS, l. c. dicens; „Es ist aller Ursprung das einzige Salz der Natur, „und kommt der Unterschied nirgends anders her, als von der „unterschiedlichen Gebähr-Mutter und Bewegung; — einerley „Kraft speiset die ganze Welt, u. s. w. Natura vero hujus principii, cum id nec mechanicis, nec chymicis disquisitionibus pareat, difficilius quidem determinatur, attamen ex omnibus materiæ hujus subtilissimæ effectibus suspicari licet, idem hoc principium esse salem elementarem, seu universalē, quod etiam a multis Auctorum § 12 allegatorum innuitur. Dum autem hic sal nondum commixtus est partibus terrestribus, vel metallicis, sensibus non percipitur, simulac autem aquæ & terræ nubat, salis formam induit, & quidem ita, ut omnes formas salium nobis cognitorum subeat, prout diversis materiis miscetur; Si connubium init cum sale volatili, ac pingui urinofo, & præterea tenerrimam quandam substantiam inflammabilem arctissime sibi adunavit, evadit acidum nitrosum ^a). Cum alicubi terram cretaceam arripit, gignit alumén, terram alcalinam cum principio arsenicali perfluens salem marinum generat, in terram phlogisto fætam se insinuans, sulphur parit ^b), cum autem metallicas pares imprægnat, vitriolum producit. Sales alcalini vero ex intima commixtione acidi cum phlogisto nascuntur. Cel. ELLERVS ^c) agnoscit quidem $\tau\omega$ φλογισον, seu ignem, pro principio universalī, a quo omnis in rerum natura actio dependeat; Ostendit autem Cel. POTT ^d), illud plane convenire cum acido uni-

universalis, seu sale primigenio; Sal elementaris natura prior est phlogisto, & phlogiston ex mixtione terræ subtilis cum eodem, enatum est. Hic igitur sal est illud principium, a quo motus & mutationes corporum maxima ex parte pendent.

- a) CARTHESER Fundam. Mat. Med. T. I. Sect. V. C. III. §. 5.
- b) VOGEL Instit. Chem. §. 87.
- c) in Differt. II. sur les elemens; Memoires de Berlin. année 1746.
- d) Natürliche Untersuchung vom acido §. 21.

§. XIV.

Hic sal residet proprie in aëre, & per universam atmosphærā sub forma fluidi subtilissimi diffusus est^a). Aér vero eum ad omnia corpora advehit, id quod exinde patet, quod natura absque aëre nihil fere efficiat. „*Die Luft*, (sic nervose rem exprimit Cel. ARBVTHNOT^b) ist das vornehmste „Werckzeug der Natur in allen ihren Würckungen auf und in „der Oberfläche der Erden, ausgenommen die magnetische Kraft „und die Schwere. Kein Gewächs, kein Thier, kan ohne Luft „hervorgebracht werden, leben, oder wachsen. In einem luftleeren Raume kænnen weder Eyer ausgebrütet werden, noch Pflanzen wachsen; Wasser, das von der Luft gereinigt ist, kan den Wachsthum der Pflanzen nicht befärdern. Die Luft ist das „vornrhymste Werckzeug in Erzeugung der Fossilien; Ohne die „Hülfe der Luft hoeret das Feuer und die Hize auf. u.s.w. THEOPHRASTVS PARACELSVS aëri vitam omnium rerum inesse statuit; „der Luft, ait^c), ist in den Elementen, wie ein Leben „in einem Cörper, und so das vom Leib geschieden wird, so seind sie alle verloren. & alio loco^d) ita habet: „der Luft gibt allen corporalischen und wesentlichen Dingen das Leben, die da von der Erden wachsen und gebohren vverden. — Hoc vero principium activum non est ipse aér, vel aëris attributum, sed adventitium est, adeoque nunc inquiramus, ex quo fonte aér illo imprægnatus fuerit.

a) VOGEL Instit. Chem. §. 86.

b) Abhandlung von der Wirkung der Luft auf und in die menschliche Cörper. Hamb. Mag. II. Band. p. 246.

c) De separatione elementorum. p. m. 791.

d) De vita rer. natural. L. IV. p. 889.



§. XV.

Non quero de prima illa, & a solo Deo petenda origine, sed de fonte, ex quo, opere creationis absoluto, sal elementaris in sublunaria haud interruptus promanet. Præmittam aliquas observationes, quæ rei investigandæ aliquam forte lumen affundent. Ventus Subsolanus, Cæciasque vires reficiunt, & hilares reddunt animos; Auster autem & Libs deprimunt vires, animumque, variosque morbos ex debilitate oriundos inducunt; **HIPPOCRATES** ^{a)} νοτὺς διαλυτικες εἶναι, observavit. In ejusmodi aëris constitutione accusari solet calida humiditas, quæ fibras flaccidas reddat, vel & imminutio elasticitatis aëris, quæ tamen vitæ fulcrum sit ^{b)}; Vera caufsa mihi hæc videtur, quod, cum vita a sale universali pendeat, aër sub dominatione Noti & Africi salis inopia laboret, abundet autem, vento Subsolano, ejusque vicinis flantibus. Ex eadem caufsa explicandum, cur nubila ferat Notus, serenam tempestatem Subsolanus? Vix defendi enim potest hypothesis, quæ ex copia aquosarum particularum, quas Favonius & Notus ex mari Atlantico, Mediterraneo, & Adriatico ad nos deferant, illud phænomenon explicare annititur. Contrariæ plane sunt huic opinioni innumeræ observationes, quarum præcipuas collegit Cel. JACOBI ^{c)}; „*In England*, ait, bringt „der Südwind vielen Regen, der Ostwind aber ist trocken und „scharf, und der Nordwind gibt ebenfalls heiter Wetter, beede „aber uehen von grossen Meeren auf dieses Land. — Auf Java „hat man den Regen mit West- und das heitere Wetter mit Ostwinden. Cur itaque magna copia aquosarum particularum, quam Apeliores ex mari Indico necessario in Javam apportat, pluviam non efficit? Difficile quoque est conceptu, quomodo tanta copia vaporum aquosorum ad tantam altitudinem evahatur, ut ab Austro trans continuam illam catenam alpium, æterna glacie rigentium deferri possit ^{d)}. Ex hisce manifestum est, vento Subsolano ejusque vicinis inesse aliud quid, e quo explicari possit, cur serenam tempestatem afferat. Illud vero sane nihil aliud est, quam sal elementaris, quem venti hi majori copia vehunt, & cuius ope aqua in aëre soluta tene-

tur,

tur, cum e contrario venti oppositi sale hoc pauperiores sint, saltem in nostris regionibus. Inde fit, ut his dominantibus solutionis turbatio, seu nubes, & tandem præcipitatio, id est, pluvia oriantur ^e). Docet quoque experientia Chemicorum, sales solutos ventis Apeliote & Aparctia dominantibus, facilius crystallisari, quam ventis contrariis flantibus, & quidem nullo ad caloris gradum respectu habito. Crystallisatio autem indubium præsentis acidi indicium est ^f); adeoque venti hi majorem salis copiam vehunt. Plantarum quoque medicatarum ea pars, quæ orientem spectat, majori vi pollet ^g). Cel. ELLERVS ^h) aquam heterogeneis partibus diligentissime per destillationem iteratam depuravit, eamque solis radiis exposuit, & post digestionem peractam acidum & phlogiston in ea reperit, inde conlusit: „*que les rayons elancés du soleil, causent dans l'eau un changement essentiel, en y introduisant une matière impalpable, qui fait naître les deux principes.* — Ex his omnibus, junctim consideratis, conjicere licet, salem elementarem originem suam a sole petere, in cuius radiis ignis actualis contentus est. Sal itaque elementaris est effluvium materiale ex sole, quod in orbe planetarum, & forsan etiam in spatio immenso diffunditur & consumitur. Ideo scilicet sol in medio systematis planetarii a Creatore locatus est, ut omnes planetæ cum satellitibus suis ex benignis ejus effluviis participarent; Sæviente hyeme Zona nostra radios solis oblique accedentes haud tanta copia excipit, hinc universa natura eo tempore quasi somno sepulta est; Vere autem accedente animalia ac vegetabilia a solis radiis refocillata novam quasi vitam accepisse videntur. Ver autem notabili modo vim vitae auget, uti in febribus intermittentibus vernis videmus; tum temporis enim sal elementaris majori copia a benigno cælo descendit, aërique committitur.

a) Aphorism. L. III. § 5.

b) *Harmonie der Witterungen mit den Krankheiten in Danzig, Hamb.*
Mag. T. XX. c) *ibid. T. XXI.*

d) Alpes seriem 188. milliaria longam exhibent, vid. BVSCHING *neue Erdbeschreibung Tom. IV. & GRVNER Eisgebürg des Schweizerlandes.*



- e) Cfr. IACOBI l. c. f.) POTT vom acido.
- g) Die Americaner glauben, wann die Fieberrinde ihre Kraft behalten soll, so müsse der Baum gegen Morgen zu geschält werden, und als der letztere Vice-König von Peru, Marquis de Castel Fuerte einen Vorrath von der Rinde vom Berg Cajanuma kommen ließ, so wurde hinüber von einem Notario ein Instrument aufgerichtet. vid. DE LA CONDAMINE Nachrichten vom Fieberindcn-Baum, in D. HYTH Sammlung der Abhandlung von der Fieberinde. T. I. p. 143.
- h) Memoires de Berlin anno 1748. Dissert. sur la formation des corps.

§. XVI.

Aér salem elementarem omnibus corporibus ingerit; Via, qua ille corpus humanum intrat, quadruplex est; Principalem exhibent pulmones, respirationis organon; Longa fuit discep-tatio, num aér sanguinem intrare possit per pulmones? Osten-dit aero ill. ab HALLER, a) aërem, si antea in mucum lym-phamque bronchiales recipiatur, commode resorberi posse per venas bibulas, sanguinique misceri; Secunda via sali ele-mentari in corpus humanum patet per cutis venas. Tertiam viam idem cum iis, quæ per os ingeruntur, communem ha-bet; Postquam in corpus & massam sanguinis recepta est ma-teria, a qua vita sustentatur, communi circulationis legi sub-jicitur, & cum sanguine ad substantias cerebrofas defertur. Hæ pollent vi assimilatrice, iam a primo momento suæ ex-i-stentiæ, adeoque convertunt principium vitæ, quod hacte-nus ad quodlibet regnum naturæ indifferens erat, in naturam corporis humani, & sic mutatum nervis tradunt; Quarta au-tem via brevior est, qua sal nervis, quorum papillæ in nares, os, &c. porriguntur, immediate communicatur, id quod refe-ctio subitanea ab odore suavi, a balsamico assumto, vel ab aëre renovato probat. Nervi autem vehunt materiam illam per totum corpus, cui fini nervorum rami ubique diffundun-tur, ideo quoque nervis impeditis vel destructis cessant mo-tus, secretio, & nutritio in illa parte, quæ nervo patienti vi-tam debebat. Per pulmones, chylique vias una cum sale ele-mentari etiam ejus vehiculum, scilicet aér, vel aëris pars sub-tilior

tilior intravit; Hinc etiam verus aëris elasticus in sanguine est; Omne enim animal, cui sub antlia pneumatica aëris externus subtrahitur, intumescit, & volumine augetur, quia æquilibrium inter atmosphäram, & aërem elasticum in sanguine hærente tollitur.

a) Elem. Physiolog. T. III. p. 352.

§. XVII.

Aëris, qui cum contentis suis in corpus animale intravit, si iterum redit, v. g. per exspirationem, non amplius eas tenet qualitates, quas ante ingressum habebat; neque enim amplius usui respirationis, & flammæ sustentandæ aptus est, quia sale clementari, qua particulis activis orbatus est. Expertus id est Cl. DESAGVLIERS, a) qui candelam accensam sub recipiente non penitus clauso ponens, observavit, eam extingui, licet novum semper aërem ex ore afflaret; Contra vero perduravit flamma, cum aërem ex folle, omnibus activis particulis adhuc divitem subministraret; Inde quoque fit, ut candela a vaporibus venenatis, nihil, parumve hujus salis vehentibus, extinguantur. Consumitur itaque aliquid ex aëre, a quo vita animantium, & continuatio flammæ pendent, & quo deficiente, vel exhausto utraque extinguitur, id quod sequentes observationes ulterius docent; „*Man hat gefunden,*
 „*dass eines Menschen Lunge 100 Cubikzoll Luft in einer Mi-*
 „*nute erfordert. Die Thiere sterben sovohl wegen Mangel fri-*
 „*scher Luft, als wann sie gar keine Luft haben; Eben so*
 „*verlæscht ein brennendes Licht. D. Mayovv hat erfahren,*
 „*dass eine Mauss $\frac{1}{2}$ der Luft verzehrte, die das Glass ent-*
 „*hielt, darinn sie starb. Hales erfuhr, dass eine Kaze in*
 „*24 Stunden 16 Cubikzoll Luft verzehrte. Ein Licht brann-*
 „*te unter einem Glase nur eine Minute, ehe es verlæschte, und*
 „*verzehrte 54 Cubikzoll, oder $\frac{1}{11}$ der ganzen Luft, die das*
 „*Glass enthielt — b).* Dubito autem, an ex ipsa aëris substantia aliquid consumatur, cum animal sub vitro optime munito omni communicatione cum atmosphära interclusum sit, nec tamen sub hoc statu intumescat, adeoque non patet,
 quo



quo perditus aër abierit. Consumitur autem principium vitæ; Cum vero determinata aëris quantitas determinatam quoque salis elementaris copiam contineat, facile intelligitur, cur plura animalia angusto spatio inclusa primo dyspnœam, dein summas anxietates, deliquia, & tandem mortem experiantur. Flebile exemplum huius rei memorat Cel. ZIMMERMANN^c), in India orientali haud ita pridem ex 146 hominibus, carceri angusto inclusis prima statim nocte 123 mortuos esse, referens. Hoc phænomenon laudatus Auctor ex putridis exhalationibus tot hominum explicare annititur; Cum autem exhalationes animalium non tam cito putrefcant, nec effectus adeo funestos tam brevi tempore edere possint, malim id explicare ex consumtione spiritus in aëre dominantis. Hinc patet, cur in omnibus morbis, præsertim in acutis & malignis accumulatio plurimorum ægrorum in angustius spatum tanta dama pariat, cur renovatio aëris tantam afferrat sublevationem, cur febres malignæ in navibus, castris, & carceribus oriri soleant, cur ventilatores Halefiani, & tubi aëriferi Suttoniani tantum conferant ad sanationem horum morborum.

a) *Hamb. Mag. III. Band. p. 493. f.*

b) *Der Königl. Schwedischen Academ. Abhandlung II. Band. p. 150.*

c) *Erfahr. in der Arzneyk. II. Th. p. 182. f.*

§. XVIII.

Ab hac consumtione perenni salis elementaris pendet necessitas respirationis conjuandæ; nam haustus novæ vitæ, ut ta loquar, finis ejus primarius est, motus autem sanguinis per pulmones secundarius. Ubinam vero sal elementaris consumatur, jam examinandum est. Digestio, sanguificatio, & secretiones non possunt perfici, nisi caußæ §is 9 - 11. citatæ adjuventur a principio vitæ. His itaque functionibus, & in genere omni motui in corpore animali peragendo impeditur; nutritio enim, ut consequens ex hisce sponte sequitur. Ex identitate originis & naturæ virium, quibus corpus animale in-

instructum est, videmus miram earundem conspirationem per totam œconomiam animalem. Quodsi enim vires in nimia copia quounque modo & loco consumantur, reliquæ functiones statim patiuntur. Hinc ingluvies, venus^a), nimia evacuantia enervant. Salem elementarem negotiis recensitis impendi, probant quoque experimenta, a Cl. BERTIER & MAYOW instituta^b), quæ monstrarunt, in arterioso sanguine, scilicet cujusvis arteriæ, excepta pulmonali, plus ejus elementi, quam in venoso reperiri, & arteriam pulmonalem, quæ venosum sanguinem vehat, in spatio, aëre atmosphærico exhausto minime intumescere, venam contra cognominem, quæ aërem hauserit, utique turgere. — Quo propior quoque sanguis refluus cordi, eo pauperior est materiâ aërea, scilicet eo minus rubicundus^c). Ill. ab HALLER rejicit quidem omne discriminem inter sanguinem arteriosum & venosum, idque legibus circulationis repugnare contendit, sed omnes Phisiologi ideam secretionis § II allegatam necessario admittunt differentiam inter arteriosum & venosum sanguinem; Redux enim sanguis venosus secundum eorum placita deposita partes, quas fecernendas arteriosus adhuc vchebat. Differentiam ratione coloris agnoscit quoque Ill. v. SWIETEN^d) „*Sanguis*, „ait, qui exspuitur, plerumque floridus & coccineus est, quia „*arteriosus*. Nec non BOERHAAVE^e) magnum admittit discrimen, ratione partium constituentium; „*Sanguis*, inquit, „cerebri & cerebelli, spiritibus secretis orbus, abit in venas.

a) In semine vis vitæ quasi concentrata est, nam ipsum gaudet iterum vi assimilatrice totali, quæ autem tantummodo in loco apto ad actum pervenit; Hic est modus propagationis specierum.

b) v. HALLER Elem. Physiol. T. III. p. 328.

c) VERHEYEN Anat. Corp. Hum. P. II. p. 178.

d) Commentar. in Aphor. Bœrh. T. IV. ad. §. 1199.

e) Instit. Med. §. 294.

§. XIX.

Spiritus animales non tantummodo in secretionibus, & motibus corporis existantioribus, sed & in motu interno sub-

tiliori, qui ad sensationes requiritur, consumuntur. Idem requiruntur ad formandas imagines, quæ per somnia nobis offeruntur. Faciunt ad memoriam, phantasiam, & omnes ideas materiales formandas, non quidem ut caussa efficiens, (materia enim nec percipit, nec cogitat unquam,) sed tantum, ut conditio, sine qua non. An spiritus animales etiam ad formandas ideas mere intellectuales requirantur, merito dubandum est; Motus tamen cerebri cum ipsis intellectionibus connectuntur; Longa enim meditatio corpus debilitat, & magnam spirituum copiam perdit, unde etiam inter litteratorum morbos agmen dicit malum hypochondriacum, teste RAMAZZINI *de Morbis Artificum.* p. m. 643.

§. XX.

Subjungam regulas aliquas diæteticas ex hac Theoria fluentes; Cum vita, robur, sanitas a sale demonstrato pendeat, prono alveo inde fluit, quod, quo plus illius salis homo recipiat, eo firmior reddatur ejus sanitas; Hinc ii, qui sub diœ vitam suam degunt, aliis validiores sunt; Motus corporis in aëre libero, ambulationes per campos ideo valetudinem prospiram conferunt & conservant, quia in aëre cibus vitæ hæret. Fas quoque est credere, conclavia, orientem versus fita, cæteris paribus, aliis salubriora esse; Humida tempestate minor salis copia in aëre continetur, inde detrimentum capit vis assimilatrix, ideo parcior cibus assumendus, maxime vero talis, qui sale elementari præ aliis imbutus est, cuiusmodi sunt aromaticæ, balsamica, spirituosa, vinosa ^a).

a) CARTHÆVSER Fund. Mat. Med. T. II. p. 7.

§. XXI.

In regno vegetabili fere idem vitæ decursus observatur, qui in animalibus: Ea enim, ut BOSE ait ^a), est animalia inter atque vegetabilia corpora, ratione earum, quæ ex mechanicis caussis pendent, actionum conspiratio, ut in illis vix quædam fieri soleant, quæ in his pariter & eodem modo non contingant. Quoad formationem primi staminis plantarum observatur, illam perfici

perfici sub aspersione pollinis fructifaci, ex flore masculino defumti, in florem foeminiū; Hoc stamen jam instructum est vi assimilatrici, & ex succo plantæ, & ex resorptis ex aëre materialiis fibi assimilat tantum, quantum ad formationem semenis maturi requiritur. Semen vegetabile perinde, ac corpusculum organicum animale vid. § 5 & 6 quasi per omnia puncta suæ substantiæ vi assimilatrici gaudet; Semen hoc terræ mandatum, vel aquæ impositum, materias accedentes & resorptas ita disponit, ut in nutrimentum sui cedant, jam autem semen formam suam non amplius retinet, sed pro diversis organis, quibus constat, effingit partes plantæ futuræ, non quidem uno actu, sed sensim sensimque, & diversis temporibus. Vis enim assimilatrix in plantis non in eo terminatur, ut tantum illæ partes, quæ ex terra semel prodierunt, nutriantur, sed vis, partes integrantes efformandi, perdurat per totam ipsarum vitam; Arborum pars fere quævis, radix, ramus, rureulus, folium, cortex solus, possunt speciem propagare, e qua defumta fuere; Quin & Curiosi arbores inverterunt, ita, ut rami in radicem, radix vero in ramos conversa fuerint ^b). Planta femini non sub forma simili involuta est, id quod & observationes microscopicæ, & rei impossibilitas ^c) docent.

a) *Dissert. de Secretione humorum in plantis.* p. 3.

b) *Acta Erudit. Lipsiens. anno 1682.* p. 150.

c) *Oeconomisch-physicalische Abhandl.* II. Th. p. 367. ff.

§. XXII.

Planta ulterius evoluta succos crassiores, vaporessque varios ex terra & aëre recipit; Organa, per quæ illi intrant, & quæ in heterogeneis receptis operationem assimilationis inchoant, sunt: Radix, folia, flores, & cortex totius. In ipsa plantæ substantia ea, quæ assumenta fuere, ulterius coquuntur & præparantur, & in naturam plantæ penitus convertuntur. Certum est, plantas attrahere promiscue omnes succos ^a), succi autem attracti nullam sæpius cum planta nutrienda habent similitudinem; sed ex dissimilibus fiunt similia, & ex similibus dissimilia. Inde patet, diversas plantas ex eadem materia nutriti posse,

eaſque veram affiliationem exercere; Neque his oppoſti po-
teſt illa ſententia, quæ ex attractione vel retentione ſimiliūm,
& repulſione vel diſiſſione diſſimiliūm phænomenon explicare
conatur; nam ex eadem terra naſcitur cichorium amarum, ce-
pa acris, pomum dulce, Lavendula ballamica &c. in terra vero
nec amarum, nec aere, nec dulce &c. reperitur. Neque tot par-
ticulas diſiſſimiarum qualitatum vel ex aëre vel aliunde
plantæ attrahere poſſunt, cum existentia earundem nullo idoneo
argumento probari poſſit, nec in eodem aëris volumine omnes
iſta hærere poſſint, ob rationes, quas § 4. attuli: Id vero in
plantis, periude, ac in animalibus obtinet, ut non omnes in
plantam receptæ partes in ejus naturam vertantur, & ab ea
proſuſiſiſſimilentur; KIRCHERVS^{b)} docet, quomodo plan-
tæ vi peregrina, & vario colore imbui poſſint, maniſteſto argu-
mento, non omne reſorptum affiſſimari; „Notandum quoque,
inquit idem, virtutem hujusmodi artc induſtam cum tempore lan-
guescentem exſpirare, naturali plantae vi eam, tanquam illegiti-
mam ab impropria poſſeffione exturbante. &c.

a) Cfr. DV HAMEL Abbandl. vom Ackerbaue. p. 18.

b) in Mundo ſubterrān. L. XII. Sect. III. Exper. V. & VIII.

§. XXIII.

Affiliation in plantis duplex eſt: Una, qua peregrina cor-
pora plantam intrantia eidem affiſſilantur, altera vero, qua di-
versi humores & produc̄ta, quæ in plantis reperiuntur, gene-
rantur. Licet enim plantæ nullum habeant cor, uti MONTA-
BANI ſtatuit^{a)} tamen in illis etiam separatio humorum perfi-
citur, deque communi per radicem reſorpta penū balfami, re-
ſinæ, gumimata, coloratum lac Separantur^{b)}; Non modo ex
ſucco unius trunci formantur folia, ligna, fructus, &c., ſed &
idem fructus partes habet diſiſſimas; Sic fructus limonum
corticem habet aromaticum, medullam acidam, ſemina amara.
Partes plantæ alicujus, quæ alteri ſpecie differenti iſtitæ ſunt,
ſine dubio e penū toti plantæ communi nutriuntur. Quid au-
tem fit? Organifatū adoptivū mutat matris ſuccum nutri-
tium

tium in sui naturam ^c). Probant certe phænomena allegata, non modo omnes partes plantarum integrales, sed & harum particulas vi assimilatrice præditas esse; Si velis vim attractricem tubulorum capillarium pro cauſa harum secretionum agnoscere, nulla amplius differentia inter secreta appareret; Simplex enim attractio & motus per canales naturam humorum immutare nequit; Præterea contra ideam secretionis ex diversa tubulorum capillarium diametro explicandæ idem formari potest argumentum, quod § 11 protuli; Vires autem mechanicæ, secretionem in plantis adjuvantes sunt partim vis attractrix, quam omnis tubulus capillaris habet, partim ventorum efficacia, qui validis sœpe conquassationibus arbores, aliasque plantas agitant.

- a) „Il Signore Montalbani pone nelle piante il capo con il cervello, il cuore, „il fegato, la carne, la membrana carnosa, gli piedi, le braccia, le deta, „l'ungia, l'orecchie, gli occhi, e l'osofago, che realmente non sono nelle „piante. — MARCELL. MALPIGHIVS in Op. Posth. p. m. 165.
- b) ab HALLER Elem. Physiol. T. II. p. 442.
- c) Du Hamel hat eine junge Citrone auf den Ast eines Pomeranzen-Baums eingepfropft; Diese Citrone ist daselbst vollends groß und reif worden, man hat aber nicht das geringste von der Natur des Pomeranzen-Baums an ihr gespüret; also muß der Saft des Pomeranzen-Baums nothwendig in der Citrone selbst verwandelt worden seyn. vid. DV HAMEL Abhandl. vom Ackerbaue. p. 11.

§. XXIV.

Quamdiu plantæ vivunt, tamdiu vim assimilatricem exercunt. Hæc igitur dependet a principio vitæ, quod etiam in plantis ratione materiæ & originis idem est cum eo, quod animalibus vitam dat; cum autem illud semper modificetur pro receptivitate subjectorum, in plantis etiam naturæ ipsorum accommodatum fuit. vid. § 13 & 14. Plantæ resorbent salem elementarem una cum aëre per patula foliorum & corticis vaſcula, nec non per flores, fructusque ipsos. An in planta hic sal consumatur, per experimenta nondum constat, concludere tamen id licet ex rei natura, quia principium movens in mate-



rias inertes agens, omnino huic actioni impenditur, & quoniam plantæ absque aëris renovatione æque moriuntur, ac animalia.

§. XXV.

Cum regnum minerale pariter quoad maximam partem organisatum sit, vis assimilatrix eidem quoque competit. Ad generandum stamen metallicum requiritur specifica modificatio & conjunctio terrarum Becherianarum, præcipue autem terræ primæ, seu vitrescibilis ^a). Hæc stamina rimis & chasmatisbus terræ subterraneis paßim interspersa vim suam assimilatricem exercent in halitus subterraneos, qui sulphureis vel arsenicalibus particulis, vel utrisque constant; id quod mineræ formationem efficit; Hæc ulterius agit in appellantes halitus, & præcipue in terram mercurialem Becheri, quæ maxima ex parte arsenico continetur; Hæc terra pro diversa sui proportione gravitatem specificam metallis omnibus conciliat, uti Chemici Celeberrimi testantur ^b). Eadem hæc terra, antequam in naturam hujus illiusve metalli determinabatur, indifferens erat ad formationem cuiusvis metalli; ex quo iterum necessitas vis assimilatricis appareat. Organa autem, quorum ope hæc corpora materias accedentes sibi assimilant, accuratius determinari non possunt, nam heic natura arcanis suis velum obduxit. Generationem metallorum ex attractione vel retentione particularum similium, & repulsione vel dimissione particularum dissimilium explicari non posse, monstrant eadem argumenta, quæ hac de re respectu animalium & vegetabilium produxi.

^{a)} Cel. ELLERVS in suo *Essais sur l'origine & la generation des métaux, Memoires de Berlin année 1753.* p. i. ff. fere eadem statuit, dicens:
 „Les vapeurs, en rencontrant une matière quartzéuse, s'y condensent. —
 „Cette matière sert en quelque façon de matière à ces exhalaisons minérales, auxquelles elle se mêle quelquefois aussi, & leur fournit la base, ou
 „terre vitrifiante, pour achever le germe, ou l'embryon métallique.

^{b)} ibid.

§. XXVI.

Cum corpora organisata vim assimilatricem non exerceant, nisi qua viva, sponte patet, etiam ad hos actus vitam requiri, licet

licet ea in mineralibus valde obscura sit; Attamen eodem principio vitæ mineralia indigent, quo reliqua regna naturæ, absque aëre enim, vehiculo salis elementaris, fossilia non generantur. §. 14. Nec magna id premitur difficultate, quomodo sal elementaris in mineralia se insinuet, pori enim mineralium & metallorum mobilissimæ & fluidissimæ huic substantiæ facile pervii sunt; In metallis quoque quibusdam assimilatio heterogeneorum absque magno labore perficitur; GEORGIVS AGRICOLA ^a) refert: „*quod plumbeas tegulas multo graviores aliquot post annos inveniant ii, qui prius pondus notarunt.* Certe aér, & quæ in eo continentur sæpe operationes chemicas magni momenti perficiunt, id quod omnia meteora probant; „*Auf Bermudos zerfrißt die Luft die Ziegel auf den Daechern, die Steine, fast alle Metalle, und in einer unglaublichen Geschwindigkeit die größten Canonen.* referente ZIMMERMANNO ^b).

a) De ortu & caussis subterrani. L. V. C. I.

b) l. c. T. II. p. 159.

§. XXVII.

Transformationes omnes in quovis naturæ regno accidentes ab uno eodemque principio, vim assimilatricem sustentante, sale nempe elementari perficiuntur. Mirum sane videtur, tot, tantos, & tam diversos effectus ab uno eodemque ente produci; Qualis igitur est modus operandi, omnibus hisce negotiis sufficiens? Difficile certe conceptu est, quomodo unum corpus in alterum mutari possit, quomodo transitus ex uno regno naturæ in alterum possibilis sit? Difficultates vero inde maxime oriuntur, quod non satis attendatur ad differentiam inter elementa chemica & physica, quæ inter se differunt ut principia & principiata; Corpus aliquod, alteri ex iisdem elementis chemicis conflato in minimis atomis seu elementis physicis dissimile esse potest, modo illa proportione vel nexu inter se differant; hic nexus elementorum chemicorum mixtio chemica vocatur; Elementa chemica autem sunt corpora, quæ in partes chemice dissimiles non sunt divisibilia. Ex iis varia proportione & modo mixtis omnia corpora conflata sunt. Ad transformationem igitur



igitur unius corporis physici in aliud non plus requiritur, quam, ut mixtio ejus chemica immutetur, id quod fit motu intellectivo, qui elementorum chemicorum situm inter se mutat; Hunc vero motum sive elementaris facile efficit, quod non tantum a priori, cum sis principium motus sit, patet, sed & ex innumeris phænomenis & observationibus probatur. Hoc modo itaque agit vis assimilatrix, quæ corporibus assimilandis modo majores, modo minores mutationes inducit, prouti minorem majoremve cum assimilante affinitatem habent. Patet igitur, quomodo ex pane chylus, ex chylo sanguis, ex sanguine saliva, bilis, lac, &c. generentur. Suppono autem, has mutationes in determinatis organis & sub certis conditionibus. Cfr. §§ 9-11. perfici. His fundamentis nititur nutritio, quæ in vasis minimis peragitur, nunquam vero sine cooperatione nervorum, qui instrumenta sunt vis assimilatrixis; Nervis enim destructis vel impeditis atrophia partium inde pendentium sequitur. Hujus phænomeni caussam posuit HARTSOECKER ^{a)} in deficiente motu peristaltico vasorum, qui solus circulationem lymphæ nutrientis efficiat; BOERHAAVE autem existimavit, materiam proximam nutritionis ipsum fluidum subtilissimum nerveum esse, quod vero cum crassitie partium constitutivarum corporis nostri non conciliatur. Nervi autem in negotio nutritionis vim assimilatricem sustentant, supposito motu progressivo, & legibus circulationis.

a) Suite des conjectures Physiques. L. I. Discours VI.

§. XXVIII.

Privatio vitæ mors est. Subjiciuntur eidem corpora organisata, quando justus influxus salis elementaris in ipsa cellat. Mortuorum alia mox decomponuntur, alia aliquamdiu persistunt, sed absque spe restitutionis partium, quæ ex illis absorptæ sunt, nam cum vitâ cessat etiam vis assimilatrix.

T A N T V M!

